



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Acta Ecclesiae Mediolanensis**

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

**Borromeo, Carlo**

**Brixiae, 1603**

Pars Prima, Quae ad regimen Seminarij generatim pertinent.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11399**

Illud autē in vniuersum præcipimus, vt quæcūque siue actenus decreta, siue decernenda, ab omnibus intra aut extra Ciuitatem Seminarijs accuratè seruentur; sicut etiam eadem Seminaria iuxta Concilij Tridentini constitutionem, ab illo vno quod præcipuum in vrbe ereximus, in omnibus dependere debebunt.

PARS PRIMA,

Quæ ad regimen Seminarij generatim pertinent.

De gubernatione spirituali. Cap. I.

**R**anfacto Vacationum tempore, reuersi in Seminarium, exercitationes spirituales vnus saltem hebdomadæ spatio illi ineanit Clerici, quibus à Rectore iussum fuerit.

Idem ab ijs præstetur, qui singulis annis in Seminarium recipiuntur, eodem modo, quo ex constitutione nostra consueuerunt, qui ad maiores ordines sunt promouendi.

Quod si vnus tantum sit, aut alter, differatur in aliud tempus commodius.

Diebus festis, qui adscripti sunt Congregationibus B. Virginis, à nobis auctoritate Apostolica institutis, indulgentijs etiam peculiaribus concessis, vt ex earum constitutionibus apparet; mane, ante & post Sanctissimæ Communionis perceptionem in Oratorium se recipiant; A prandio item ea hora, quæ Rectoris iudicio commodior iudicabitur; vt de rebus spiritualibus inter se agant, prout earum Constitutionibus præcipitur.

Singuli præterea ea omnia piè præstent, quæ infra in constitutionibus ad clericos pertinentibus, cap. 2. de pijs exercitijs præscribuntur.

Detur opera, præcipuè in sermouibus & confessionibus, vt omnis ex clericorum mentibus sitis & auiditas beneficiorum tollatur; ac proinde videatur, vt ea de re ne ipsi quidem inter se colloquantur; ac ijs sæpius inculcetur,

quàm auersi ab omni rerum humanarum cogitatione, Ecclesiastici ordinis homines in via domini ambulare debeant.

Diebus festis Horæ Canonice in Ecclesia Seminarij dicantur; Missæque maior celebretur, cui Diaconus & Subdiaconus sacris vestibus induti ministrent.

Ad hæc Officia conuenient, quos Rector statuerit, vt veniant.

Singulis item diebus festis ad Ecclesiam Metropolitanam mittatur certus Clericorum numerus, qui diuinis officijs inseruiat, & intersit.

His duabus Ecclesijs constituat Rector suo arbitratu, vt minorum ordinum functiones exerceant, iuxta tabellas ad instructionem totius cleri editas; Maioribus autem ordinibus initiati, in Ecclesia tantum Seminarij suorum ordinum munera præstent.

Cum in Ecclesia Maiori solennes processiones ac generales habeantur, eas clerici semper obeant.

Ad processiones autem, aliæque munera in alijs Ecclesijs obeunda nõ conueniant, aut mittantur, sine Reuerendissimi Archiepiscopi facultate.

Rituum & Cæremoniarum Ecclesiasticarum vsus omnes exactè teneant, easque decorè quantum fieri possit, præstare studeant.

Propterea bis terve in singulos menses, prout Rectori videbitur, idque præcipuè diebus relaxationis, in Cæremonijs erudiantur.

Ac primùm singulis diebus festis deligantur nonnulli, qui in diuinis officijs eas obeant.

Quæ vt rectè procedant, constituatur Præfectus Ecclesiæ Seminarij, qui totius administrationis eius quæ ad Ecclesiam spectat, curam gerat, cui reliqui subijciantur: Præfectus Chori, Magister Cæremoniarum, Sacrista, ac post hos, inferiores Ministri, qui sacerdoti sacrum peragenti, Choro cum opus fuerit, ac populo cum Sanctissimam Eucharistiam sumet, opportuna ministeria exhibeantur.

Eodem modo alternatim deligantur, qui in Ecclesia Maiori easdem obeant.

Ecc 3 Con-

Diuina officia à clericis in ecclesijs obeunda;

Exercitatio in cæremonijs ritibusve ecclesiasticis;

Sess. & dec. eodem.

Exercitationes spirituales.

Congregationes priuatæ.

Beneficiorum auiditas clericis dissuadenda.



Cōstituantur autem è clericis quatuor, aut sex, qui in eadem Ecclesia sub Magistro Cæremoniarum præcipuam curâ habeant, vt per eos alij, tum melius eodem in loco dirigantur, tum in Cæremoniarum vsu in ecclesia Seminarij instituantur.

Quibus per ætatem in Seminario diutius est permanendum, si id sine graui studiorum detrimento facere possint, cum vsu prædicto scientiam cæremoniarum rituumque Ecclesiæ, Ambrosianæ præsertim, coniungant; dentque operam, vt eorum tum originem, & causas, tum significationes præcipuas cognoscant. Quapropter semper quatuor, aut sex, quibus mandatum fuerit, in harum studia incumbant: atque hæc ex Cæremonialibus Romanis, Patris de Grassis, ac ex eo quod ad vsum huius Ecclesiæ Mediolanensis emittetur in lucem; ex Beroldo Ecclesiæ Maioris, ac præter cæteros ex Rationali Durantis, alijsque libris de his rebus cōscriptis hauriant, ea ratione, quæ à viro perito, cui Reuerendiss. Archiepiscopo id muneris demandarit, illis præscribetur.

In quo vt & ipsi magis proficiant, & alijs quoque profint, hoc institutum perpetud teneatur, vt semel singulis mensibus plus minusve vt Reçtori videbitur, lectionem aliquam ea de re in Cœnaculo habeant, ac ex significationibus rituum eorum, ac cæremoniarum ecclesiasticarum, aliqua documenta ad mores pertinentia ad populi institutionem eruere studeant, paratiq; sint, vt idem in Mensa Reuerendissimi Archiepiscopi, cum imperabitur, præsentent.

Seruanda in  
susceptione  
sacrorum or-  
dinum.

Omnes Seminarij Clerici sacros ordines suscepturi, testimonia de vita, & moribus, & aliarum rerum quæ requiruntur testificationes, à Reçtore afferant; qui mensè ante statata sacre ordinationis tempora, omnes, qui primæ Tonsuræ, aut sacro alicui ordini adscribendi sunt, Reuerendiss. Archiepiscopo significet; tum ex præscripta formula denunciations fiat, alijsque omnia, Tridentini Concilij, ac Prouincialium nostrorum Decretis constituta, præsententur.

Congregationes Præfectorum decimo quinto quoque die saltem habeantur, in

quibus de Clericorum disciplina & moribus agatur. Quando habende congregationes Præfectorum.  
Si quid interdam grauius acciderit, quod presenti remedio indigeat, tum Reçtor adhibitis in consilium generalibus Seminarij officialibus, deliberet quid factum opus sit, Quamprimum deinde omnia ad Reuerendiss. Archiepiscopum referantur.

Nulli omnino qui extra Seminarium viuat, cum Clericis in Seminario degentibus versari, aut etiam colloqui sine Reçtoris facultate liceat: quod idem ijs qui de familia Reuerendiss. Archiepiscopi erunt, atque adeo ipsis Officialibus Deputatis ad regimen Semin. interdictum esse volumus, nisi id de mandato Reuerendissimi Archiepiscopi faciant.

#### De Studijs. Cap. II.

VT studia Clericorum, maiore quo fieri possit ordine procedant, & unicuique abundè suppeditentur ea quibus ad studiorum metam peruenire possit, statuimus vt infra scriptæ Classis in Seminario sint.

Vna Grammaticæ, quæ rursus in duos diuidatur ordines; in quorum inferiori exerceantur adolescentes in epistolis breuioribus per inferiores regulas Emanuelis Aluari, quæ eis explicabuntur, componendis.

In superiori ordine constitutis, explicentur regulæ omnes eiusdem Emanuelis, vsque ad Profodiam exclusiue, pauloque difficiliora ac longiora themata proponantur.

Vtrique verò explicetur, mane aliquis Liber Epistolarum familiarum Ciceronis, prout præscribetur, à prandio autè Ouidius de Tristibus, vel de Ponto, aut aliquis ex Virgilio facilius liber æstiuo tempore: Quas omnes lectiones sequenti die, tum mane, tum vesperi, statim ac in gymnasium venerint, memoriter recitent.

Secunda Classis erit Humanitatis, quæ in duos item distinguetur ordines: quorum inferiori proponantur initio difficiliora dictata, quæ eleganter in latinum sermonem vertant; deinde argumenta epistolarum, quas proprio Marte

cod-

Collocatio  
cũ externis.

Classis Grammaticæ.

Classis Humanitatis.



conferant. Ad hunc ordinem adscribendi, in Grammaticæ artis præceptionibus eruditi sint, ac in componendis epistolis exercitati, nec congruè solum sed etiam latine. Superioris autem ordinis adolescentibus in Christi, Etopæis, alijsq; exercitationibus detineantur. Singuli autem utriusq; ordinis, in stylo, & compositione elegantè exerceantur; & in eruendo vero sensu auctorum qui latine scripserunt, confirmantur.

Explicetur illis M. T. de Officijs, quibus etiam S. Ambrosij officia inserantur; aut de Amicitia, aut Tusculanæ Questiones, aut Epistolæ ad Atticum: atq; harum quidem explicatio semihoræ, vel ad summum trium horæ quadrantium spatio concludatur: Tum altera semihora detur repetitionibus.

Ex Poetis, Virgilius explanetur, relictis ijs partibus, in quibus aliquid est minus honestum: Horatius item correctus interdum. Atque hæc quidem primis sex mensibus: quibus transactis, Rhetorica Cypriani, & aliqua ex Ciceronis orationibus facilioribus explicetur; quales sunt illæ, pro M. Marcello, & pro Archia.

Præterea ter in hebdomada Grammatica Græca Clenardi, atq; etiam quantitas sillabarum: Singulis verò diebus dictatum aut argumentum compositionum proponatur.

Feria sexta pars aliqua Catechismi Catechismi explicetur, ac memoriter pronuncietur.

Qui ex Classe Humanitatis, ad alias Rhetoricæ, Philosophiæ, & Theologiæ classes transferri debent.

Ex hac Classe deligantur, qui deinde varijs disciplinis incumbant, prout in literis humanioribus profecerint, animaduerso vniuscuiusq; ingenij acumine, stylo, & ætate, sacerdotio magis vel minus propinqua, vt copiosius infra dicetur.

Qui nullam aut exiguam spem præbent proficiendi in literis humanioribus, & orationum compositione, ad Rhetoricam non admittantur: verum si vigesimum primum annum attigerint, nec prorsus inepti sint ad logicam, ei scientiæ vnius anni spatio operam dent, reliquos duos annos, casibus, Catechismo, sacre scripturæ, & Rhetoricæ Ecclesiasticæ dabunt: si verò in logica propter ingenij

tarditatem tempus frustra consumpturi videantur, eius studio prætermisso, totum tempus prædictis quatuor lectionibus impendant.

Idem seruetur in ijs, qui vigesimum annum agent; nisi forte propter ingenij solertiam, ad studia Philosophiæ, & Theologiæ videantur admittendi; ea conditione, vt post Philosophiæ studium, saltem per biennium in Theologiæ studiis incumbant; Nemini enim aditus ad Philosophiam patere debet, qui per biennium saltem Theologiæ studijs operam daturus non sit.

Qui ad decimum nonum ætatis annum peruenerint, nisi præcæteris in stylo singulare quoddam specimen dent, & non exiguos in Rhetorica progressus polliceantur, ad Rhetoricam ne admittantur; sed si eodem loco sint, quo superiores, iisdem quibus illi legibus subiiciantur. Sin aliquod in ijs ingenij lumè eluceat, pateat illis aditus ad Logicam, & Philosophiæ curriculum, reliquum temporis Theologiæ impendant.

Qui decimum nonum annum nondum attigerint, si ad Rhetoricæ studia idoneos se ostendant, ad Rhetoricam admittantur, deinde ad Philosophiam, & Theologiam. Sin ad has disciplinas percipiendas minus apti videbuntur, vsque ad decimum nonum annum in Humanitatis schola retineantur: modò se, accedente exercitatione, in quatuor illis lectionibus, Catechismi scilicet, Casuum conscientiæ, sacre scripturæ, & Rhetoricæ ecclesiasticæ, idoneos sacerdotes ad animarum curationem euadere posse, aliqua ratione ostendant.

Secus è Seminario dimittentur, cum nõ ea de causa sit institutum, vt in eo simplices Sacerdotes sibi tantum vtilis futuri, educerentur.

Qui ad Rhetoricam admissi fuerint, nec non Philosophiæ, & Theologiæ operam daturi, à præceptoribus Collegij Brandenburgensis eas disciplinas audiant.

Ad hæc, quibus vigesimum, aut vigesimum primum annum agentibus, vnius anni spatio in Logicæ studio immorandi fuit concessa facultas, vt magis deinde proficiant in cognitione casuum, & Catechismi; ij videant, vt abiecta spe vl-



terius in curriculo Philosophiæ procedendi, vnius logicæ studio contenti, in quatuor lectionum quæ dictæ sunt, exercitatione consistant.

Ratio explicandi lectionem Catechismi.

Atque hæc quidem huiusmodi ferè ratione explicandæ erunt. Catechismus, exactè, ac ferè Scholasticè explicet; ita tamen, vt biennij spatio præcipuæ partes, tres nimirum priores absoluantur. Hæc autem lectio mane, repetitiones de ea à prandio habebuntur.

Sacræ scripturæ, & Rhetoricæ ecclesiasticæ.

Lectio scripturæ sacræ, non scholastico more, sed tanquam Theologia positiuæ explanetur; ac inde occasione sumpta, doceant adolefcetes modum eam populo tradendi, reuocandiq; ad vsum in concionibus præcepta exposita in Rhetorica ecclesiastica, quæ à prandio inclinatio iam die ad vespèrem explicabitur.

Et casuum conscientie.

Lectio denique casuum conscientie quotidie habeatur, cui adiungatur explicatio aliqua ex confessionali, vt discant proximæ Sacramenti Pœnitentiæ administrandi.

Alia quædam ad studia pœnitentiæ.

Præter has lectiones, omnes clerici cuiuscunq; Classis doctrinam Christianam diligenter memoriæ mandent, & firmiter retinere studeant.

Ne cuiquam permittatur, vt per diuersa librorum, & studiorum genera vagetur, sed vnicuique certi libri præscribantur, quibus legendi temporibus ponere debeat.

Si quis contra fecerit, ac ea de causa tempus inutiliter consumat, nec monitus resipuerit, vt omnis huius detrimenti occasio tollatur, reliqui libri omnes ab eo auferantur, necessarii tantum relinquuntur.

Prouideatur, vt Clericis omnia suppetant, quæ progressum eorum in studijs adiuuare possunt.

Itaque crebro, & accuratè, examina, repetitiones, dissertationes, collationes habeantur.

Tum ad discendi studium, vel præmijs, vel æmulationes, siue alia ratione excitentur.

Si quis inutiliter tempus consumat, eumque parum progredi iam experientia cognitam sit, aut voluntatis vitio, aut etiã quia non possit; id Reuerendissimo Archiepiscopo in tempore significetur, vt

de eo maturè statuat, quid sit agendum.

Qui breui sacerdotio sunt initiandi, diligenter instruantur in ijs, quæ ad Canonis expositionem, ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, & ad Missæ mysteria pertinent.

Curetur, vt ij qui propter ætatem, a promotione ad sacerdotium propius absunt, ac proinde breui animarum curæ sunt præficiendi, modum discant administrandi Sacramenta, & exercendi alia munera, quæ animarum Curatori sunt obeunda. Quapropter prouideatur, vt alicuius Sacerdotis harum rerum periti opera instruantur.

Ad repetitiones quotidianas parati omnes accedant.

Quare nullus ob id priuatim moneatur; sed cum omnes conuenerint, is quæ repetitionum curam geret, quem volet eligat, cui eo die repetendi munus imponat.

Qui Rhetoricæ dant operam, diebus festis, & relaxationis diebus, ea quæ per hebdomadam composuerint, tum soluta, tum adstricta numeris oratione, publicè à cæteris in Seminario legenda exponant.

Idem præstetur ab ijs, qui primæ Classis Humanitatis sunt adscripti, à Resurrectione vsque ad vacationes.

Qui verò Philosophiæ, aut Theologiæ student, ij singulis mensibus aliquid aut carmine, aut soluta oratione componant, prout apti fuerint, quod statis diebus Præfecto studiorum ostendant, publiceque exponant.

Adhibeatur diligentiæ, vt corruptæ pronuntiandi consuetudines penitus tollantur, non in lectione solum, sed etiam in familiaribus colloquijs; ac ij præcipuè obseruentur, qui vitiosas quasdam inflexionis voces habent, quas à patria secum extulerunt.

In eo se omnes exerceant, vt tum latinam, tum vulgarem Italicam linguam emendatè pronuntiet; ac propterea alternatim iuxta Rectoris præscriptum ad primam & secundam mensam legant semper, nisi ab aliquo concio sit habenda.

Ac si quid in legendo peccauerint, corrigantur statim à Præfecto studiorum, aut eo absente, ab alio, cui id minus de mandato fuerit.

De



De executione Clericorum in concionibus habendis. Cap. III.

**D**iebus festis, ac præterea ter saltè in hebdomada; in aduentu quoq; Illustrium virorum, conciones à Clericis in Cœnaculoè suggestu habeantur; omnesq; in hoc munere se exercent: Latinæ quoque orationes habeantur sapius, præsertim ab ijs, qui singulis annis Rhetoricæ studio operam dabunt.

Præfctus studiorum unicuique præscribat thema, de quo erit habenda concio, ac singulos sigillatim semper instruat, quæ ratione inuenire, disponere, & pronuciare debeant.

Atque initio quidem præscribatur tantum thema de virtute aliqua, aut vitio, aut aliqua propositio breuis ex sacra scriptura desumpta; Cum verò prouectiores fuerint, tunc etiam de Euangelij currentibus concionentur.

Qui propter prouectam ætatem, ingenij tarditatem, aut aliam quamuis causam, non multum in hoc assequi posse videbuntur, satis erit si eo vsque proficiant, vt ad altare, Parochorum more sermones habere possint, non admodum quidem artificiosè, sed ita tamen, vt ne quidquam ab Ecclesia, aut à Doctoribus Ecclesiæ probatis alienum proferant, populumq; in via Domini salutariter erudiant.

Quapropter hi instituantur, vt initio quidem conciones ad verbum exarent, deinde verò capita tantum summa notent.

Neque verò hi vlllo modo verborum ornatum, sed tantum res ipsas confectentur, ac in ijs elaborent præcipuè, quæ ad mores pertinent; atque in hoc ita se exercent, vt diuturna consuetudine quasi roborati, possint diebus festis ad altare sermones habere, etiam si propter occupationes Parochiæ suæ, non ita sedulam per eos dies studij operam nauare potuissent.

Itaque ijs pro themate, proponantur vt plurimum Euægelia, diebus solennibus, & festis totius anni occurrentia: in quibus curetur primò, vt sensum literalem teneant, tum aliqua documenta ad mores instituendos spectantia in prom-

ptu habeant.

Ex ijs omnibus, qui iudicio Reçtoris de consilio Præfcti studiorum magis idonei censebuntur, mittantur per vices sapius, omnino autem festis solennibus diebus, & in aduentu Illustrium virorù in Aedes Archiepiscopales, qui ad mensam Reuerendissimi Archiepiscopi vel latinè orent, vel Italicè concionentur, accommodatè ad diem festum, vel ad Euangelium, quod in sacro pronuciatum fuerit.

Neque verò quisquam conciones in Archiepiscopalibus quibus habeat, qui non eas prius in Seminario recitauerit.

De Cantu & Scriptione. Cap. IIII.

**L**ectionem catus, qui firmus dicitur, omnes quotidie adeant; Qui verò a Reçtore de Consilio Magistri Musici idonei iudicati fuerint, etiam eius, qui figuratus appellatur: idque statim a prædio; & quidem à Solennitate Resurrectionis Domini nostri vsq; ad mensam Septembris, duarum horarum spatio; alijs verò temporibus horæ cum dimidia tantum.

Mædatur autem alicui ex poritioribus, vt prima elemèta tyronibus tradat; mox neantur que omnes, cum in posterum ordinis sacros suscepturi fuerint, etiam de peritia cantus sibi examen esse subeundum.

Omnes a Paschate Resurrectionis vsque ad Vacationes, singulis diebus duas horas dent, vt eleganter & graphicè pingere literas discant; ac primò quidè, tantum paulò in scribendo exercitationes a præceptore externo ad eam rem conducto instituantur; deinde ipsi vicissim alios doceant, vt a Reçtore constitutum fuerit.

De gubernatione temporali. Cap. V.

**O**mnes in vnum & eundem locum conueniant ad cibum capiendum: quia verò omnes vno & eodem tempore cibum sumere non poterunt, prima, & secunda extruetur mensa, vt qui primæ non possunt, secundæ accumbant mensæ.

Autæ



Antequam discumbant, Rector benedicat Mensam, & eo absente is, qui proxime post Rectorem loco in mensa adest. Idem, ubi sine fecerint edendi, Deo gratias agat.

Vtroque in munere omnes stantes deo & capite reuerenter respondeant.

Lectio in mensa tum prima tum secunda de perpetuo adhibeatur.

Primum quidem vnius capituli ex sacra Scriptura, deinde alterius ex Martirologio, tum reliquum tempus donec tintinnabulo signum datum fuerit, consumatur in lectione libri alicuius pij, qui Italico sermone conscriptus sit.

Idque nisi loco lectionis statis diebus, ut superius dictum est, aliquis ex clericis vel latine oret, vel Italice concionetur. Qui si dicendi finem prius fecerit, quam qui accumbunt edendi, quod reliquum erit temporis, legat librum spiritualem Italice scriptum.

Fercula clericis duo apponantur mane, & vesperi, iurulentum alterum, alterum obsonium, pro ratione temporis; quod eius erit quantitatis, qualis prescribetur.

Festis autem, sicut & sextae feriae diebus cum abstinetur, dictis duobus addetur tertium pro prima vel extrema esca: tempore vero relaxationis mane addatur quartum, vesperi autem primum aut vltimum detrahatur.

Idemque praestetur in prandio diebus ieiuniorum.

Vini alterum tantum genus apponatur ad praescriptam mensuram, aestiuo autem tempore aliquid vini albi interdum adiungatur.

Superioribus praeter iurulentum ferculum, & obsonium, siue elixum, siue tostum, apponatur prima & postrema esca.

Et ieiunij tempore duplex adhibeatur obsonij portio. His demum vinum album & nigrum propinetur, praesertim aestiuo tempore.

Per hyemem mane a prandio, vesperi a coena excitetur ignis in singulis locis ad recreandum animum assignatis, qui tamen etiam alia hora poterit accendi, cum superiori videbitur ob iustam causam.

Singulis tribus mensibus fiat certior Reuerendissimus Archiepiscopus de numero Clericorum, qui ingrediuntur in Seminarium, & egrediuntur, & de duodena quae soluitur.

Certior fiat Archiepiscopo de numero Clericorum.

Non recipiantur in Seminarium Clerici post ferias Autumnales, nisi plane satisfecerint pro duodena quam solunt, non solum pro tempore transacto, sed etiam pro futuris sex mensibus, pro quibus ante partem eam solvere debent.

Clerici quo modo recipiendi post vacationes.

Clerici, quibus aliqua concedetur facultas accedendi ad proprias domos, si tempore eisdem praescripto non reuertentur, ne recipiantur in Seminarium sine expressa Reuerendissimus Archiepiscopus licentia.

Habeatur perpetuo congregatio Seminarij, in aedibus Archiepiscopalis semel in hebdomada; feria tertia, mane post diuina peracta; saepius etiam, ut opus erit, praeter eas, quae quotannis in ipsius Seminarij Visitatione haberi solent.

Congregatio Seminarij Archiepiscopi, quando, & de qua ratione habenda.

Huic congregationi intersint constituti ex decreto Concilij Tridentini, pro ratione materiae, de qua agendum est.

In ijs quae ad mores pertinent, delecti pro moribus; in temporalis administratione, electi pro rebus temporalibus.

Praeter alios Rector Seminarij, tum etiam qui ministri aliquando vocandi erunt pro negotijs tractandis.

In Congregatione spiritualium rerum ea proponantur, ac deliberentur, quae ad disciplinam, mores, ac studia pertinent.

In temporalis autem congregatione ea pertractentur, quae ad domesticas rationes, iurium conseruationem; bonorum amplificationem, praediorum & aedium instaurationem; & locationem, fructuum exactionem, expensarum totius annirationes, & quae ad alia eiusdem generis spectant.

Res omnes de quibus in Congregatione inita est consultatio, ad Reuerendissimum Archiepiscopum cum ipse congregationi non interfuerit, referantur: qui, siue congregationi interfuit, siue non, ubi Deputatorum sententiam (quam tamen ex Decreto Provinciali sequi non cogi-

Prou. 5. tit. de Seminario.



rogatur) audierit, ipse deliberet: ac statua; quæcunque pro sua pietate & prudentia, ad Seminarj utilitatem potiora esse existimauerit.

Quidquid deinde Reuerendissimo Archiepiscopo videbitur, Rector ipse quæ primum, & diligenter exequatur, nisi alium idem Archiepiscopus delegarit.

Libri ad rationes Seminarj pertinentes.

Habeatur liber, quem magistrum appellent, in quo describantur a supputatore rationes accepti & expensi, reddituum ad Seminarium quouis modo spectantium; In eoque describantur dietim clericorum nomina qui admissi fuerint, & annuatim aliquid soluant.

Habeatur item alter liber, qui contineat inuentarium domesticae suppellectilis;

Conficiatur item liber, in quem referatur status omnium clericorum; qui dietim admissi fuerint, scilicet.

Si quidquam annuatim soluant.

Qualis causa, & quando data.

Nomen, & Cognomen eius, & patris.

Ætas clerici.

Clerici status breuis; scilicet.

Patriæ habitationisve locus, Parochia,

Plebs, Portæ, si in vrbe est.

Qualitas literarum dimissoriarum, si alienæ diocesis est.

Ordo, quem habet.

Beneficium, si quod habet.

Talenta, & progressiones cuiusq; in studijs, & moribus.

Atque hi quidem libri omnes, sicut

& alia omnia scripta iurium ac honorum,

in Archiuo Seminarj asseruentur.

Capla pecuniarum vbi & qua ratione asseruantur.

Capla pecuniarum asseruetur in Seminario in Cubiculo Rectoris, & claues duæ diuerso opere fabrilis eidem appositæ sint; quarum vna à Rectore, altera à Thesaurario custodiatur, nec alter sine altero reponere in ea pecunias, vel extrahere possit.

In eadem asseruetur liber, in quo describantur pecuniæ omnes, dum in ea reponuntur, cum memoria sigillatim descripta, cuius causa receptæ sint.

Emptor, Clericorum omnium qui in Seminario degunt, pecuniam asseruet; neq; ipse eam expendat, aut clericus restituat, sine Rectoris facultate.

Distributio horarum totius anni.

Cap. VI.

Hyemali tempore.

**H**ora vigesimaquarta signo dato, omnes in cubiculum se recipiant, spatio duarum horarum cum dimidia, studijs operam daturi.

Hoc etiam tempore repetitiones habeantur; Superiorum scholarum vniuersi; elassi trium horæ quadrantium, inferiorum integræ horæ spatio attributo.

Inde ad cenam ibitur: post cenam hora relaxationi animorum detur, ita tamen vt extremo huius horæ quadrante, meditationis matutinæ ratio reddatur.

Conueniant hinc omnes in Ecclesiâ, vbi futuræ meditationis argumentum accipiant.

Postea quadrantis horæ spatio conscientia excutiendæ assignato, alter quadrans recipiendis in lectum detur.

Hora vndecima cum dimidia, surgatis, qui alios excitare debet, & statim Prefectorum lucernas accendat; ab eoque sub duodecimam horam signo surgendi dato, semihora ad vestes induendas, abluendas manus & sternendum lectum, concedetur.

His peractis semihora mentali orationi; quadrans officio B. Virginis persoluendo assignetur.

Sub horam decimam tertiam studia resumantur, donec signo Braidenfischolarum dato, ad Missam omnes statim conueniant; qua audita partim ad gymnasia domestica se cõferant, partim Braidam eant; hora lectionibus, quas audierint in Collegio Braidenfischolarum præfinita.

Braida reuersi alij, qui domi in scholis sunt dimittentur, ac de vestigio purgatis Dormitorijs, ineatur prandium.

A prandio vnus horæ spatio cessetur a studijs, ac lectiones cantuum figurati, vt appellant, tum firmi habeantur; quibus absolutis, omnes in cubiculum se recipiant, ac ibi Braidenfischolarum expectent; Hoc audito omnes ad scholas eant, distinctis interuallis iuxta classes quibus adscripti sunt, vt de Matutino tempore dictum est.

Braida domum reuersi, vesperarum, &

COM-



completorij preces persoluant, tum studijs operam dent, donec ad repetitiones signo dato vocentur.

*Æstiuo tempore.*

**M**ane post horam septimam cum dimidia signo surgendi dato, seruetur eadem distributio temporis, quæ hyeme, vsq; ad finem recreationis, quæ agatur vnus horæ spatio cum dimidia: quo tempore partim Musica, partim scribendi arti addiscendæ vicissim dent operam, semihora vnicuique exercitatio ni præfinita.

Post recreationem semihora quieti detur, tum vocentur ad repetitiones, eadem ratione quæ superius exposita fuit: deinde vsque ad signum scholarum studijs opera detur.

Vt Braida reuersi sunt, Vesperarum, & Completorij precibus persolutis, ad cenam eatur, seruato post cenam ordine superius explicato.

*De Vacationibus, ac diebus ad relaxandum animum assignatis.*

*Cap. VII.*

**V**acationes ne dentur antè natiuitatem B.V. ac non nisi absoluta à Reuerendissimo Archiepiscopo visitatione; differantur quæ ad summum vsq; ad diem festum S. Luca: quo tempore Clerici omnès in Seminarium reuertantur; neque citiquam sine facultate diutius abesse liceat.

Singulis hebdomadibus, die nullo festo interueniente, dies Iouis relaxationi animorum assignetur: ac eo die hyberno quidem tempore mane scholæ habeantur; nec æstiuo tempore permittatur adolescentibus, vt toto die ludant, sed mane & vesperi certam horam dent ambulationi.

Cum aliqua de causa ad domesticos lares ire cõtegerit, ibi per aliquos dies mansuri, sine literis commendatijs Reuerendissimi Archiepiscopi discedere ne liceat; ac in reditu testimoniales literas reportent, quibus de eorum actionibus testatum fiat, ac ijs præcipuè capitibus respondeatur, quæ in commenda-

ticia epistola continebantur; Quarum literarum exemplum infra ponetur, & appetente Vacationum tempore, tot quot opus fuerint pro numero Clericorum exscribantur, vt opportunè paratæ sint, ac clericis abeuntibus detur perferendæ.

Quo tempore dum absuerint, exteriori veste nigri coloris semper vtantur, nisi in itinere, aut per pluuias. Superpelliceam secum ferant, & vbicunq; fuerint, saltem diebus festis, eo induti, in Ecclesia Parochiali diuinis officijs intersint.

Locus aliquis per emptionem, aut permutationem comparetur, in quo omnia, quæ inferius scripta sunt, ædificari possint, etiam si nulla ibi sit fabricæ structura. Nam successu temporis, aliqua applicatione Seminario facta, aut aliqua re legitime alienata, facile sine detrimento Seminarij ædificium exstruetur.

Sit primum intra fines Portæ Orientalis, aut Nouæ, si fieri possit, vbi maxime salubre sit cælum, ac ab vrbe saltem mille passus distet.

Situs sit iugerum octoginta, vel ad minus multum septuaginta.

Vndique pariete, aut firmissima sepe saltem cingatur.

Loco sit ab exteriorum aspectu libero, vt ne à quocunq; vicinorum, quid intus geratur aspici possit.

In ædificio hæc sint: Sacellum honesto loco ad Missæ sacrificium celebrandum.

Triclinium, in quo commodè duo mensarum ordines construi possint, ea latitudine, & longitudine, qua decet, caminumq; a capite habeat.

Culina, ac in ea puteus.

Cella vinaria exigua, in qua vini quantum satis sit, & ligna asseruentur.

Promptuarium, in quo suppellex domestica, panis, ac huiusmodi alia reponantur.

Cubiculum paulò maius cum camino, vt si ventus vehemens, aut turbulenta tempestas & perfrigida sit, in id se recipiant.

Cubiculum alterum, vnus aut alterius lecti capax.

Por-



Porticus tres superius tectæ ad recreationes distinguendas, quò se conferant, si repetitus imber exoriat, aut magni æstus sint; vel duæ saltem in præsentia. Domiciliùm separato loco, in quo villi cus, seu loci castos habitet.

Solum transactis vijs latis ad regulam directis, quadrato intervallo decenter distinguatur; quæ propaginibus vitium altius præsentis contegantur; sitque vndique vitibus, varissique frugiferarum arborum generibus confutum.

Dææ exiguæ tabulæ conjunctæ, in ijsq; singulis bina scaphia distincta.

Formula Epistolæ commendatiçæ ad Parochos.

Carolus S. R. E. Præbyter Cardinalis  
Tit. S. Praxedis, Dei, & Apostoli-  
cæ sedis gratia Archiepi-  
scopi Mediolani.

**R**euerende Paroche. Cùm hoc tem-  
pore, vt valetudinis ratio postulat,  
dilectis i Christo nostri Seminarij Cle-  
ricis ad suos lares redeundi facultatem  
fecerimus, vt ingenij, corporisq; vires,  
assiduis studiorum laboribus defatiga-  
tas per dies aliquot reficiant, instaurēt-  
ur: (sed ita tamen, vt relaxatio ecclesi-  
asticam disciplinam redoleat) quo vege-  
tiores ad intermissa literarum studia re-  
uertantur: Ioannem Peruscum eiusdem  
Seminarij alumnùm istuc proficiscentē  
his tibi literis commendamus; atq; iu-  
bemus, vt quamdiu istic morabitur, eius  
totam viuendi rationem diligenter ob-  
serues, atque hæc præcipue.

An quotidie, mane & vesperi oratio-  
ni vacet.

An singulis quindecim diebus pecca-  
ta sua probato sacerdoti confiteatur,  
Sanctissimamq; Eucharistiam sumat.

An diebus festis Missæ cõuentuali, re-  
liquisq; officijs in Ecclesia tua superpel-  
liceo indutus religiosè interfit, in ser-  
uiatq;.

An ordinum, quibus est initiatus, fun-  
ctiones frequenter exerceat.

An doctrinam Christianam in eccle-  
sia tua horis statutis doceat singulis die-  
bus festis.

An clericali vestitu talari decenter  
vtantur, & cum iugiter deferat, tonsu-  
ramve gestet.

An aliquod armorum genus deferat,  
vel quippiam aliud in concilijs nostris  
clericis prohibitum committat.

An cum laicis, & præsertim mulieri-  
bus, versetur.

Hæc, & si quæ sunt alia, a te quàm dili-  
gentissimè animaduerti volumus.

Vbi verò redeundi tempus aduenerit,  
tu literis sigillo tuo munitis, prius  
tamè Vicarij foranei approbatione sub-  
scriptis, quidnam in singulis dictis capi-  
tibus, aut alia in re excessus vel defectus  
extiterit, (super quo conscientiam tuam  
oneramus) sigillatim nobis eumulatissimè  
significabis.

Illud te admonemus, hoc nobis ita cor-  
di esse, vt si vnquam aliàs, hoc tempore  
in primis a te præstari diligentissimè ve-  
limus. Dat. Med.

Formula Epistolæ commendatiçæ ad  
Vicarium Foraneum.

Carolus &c.

**A**dmodum Reuerende Vica. Quidam  
valde de Clericorum qui in Semi-  
nario viuunt, recta institutione solliciti  
simus, vel ex hoc perspicere potes, quòd  
non ijs solum literis contenti, quas ad  
Parochos damus, ad te etiam perscribe-  
re voluerimus: vt cognita nostra cura,  
quam habemus de istis, qui aliquando  
futuri sunt huius Ecclesiæ Ministri, hoc  
in primis tempore, quo veniendi domũ  
facultatem habuerunt, eorum qui sub tuo  
degunt Vicariatu, & quorum nomina  
subiciuntur, totam viuendi rationem  
per te & per alios diligenter obserues.  
Et quamuis Parochis mandauerimus,  
vt litteras quas ad nos missuri sũt, prius  
ad te approbatas, & subscriptas mittant;  
volumus tamen, vt ipse etiam priuatim  
de toto illorum vita genere nos eumula-  
tè certiores facias, pariterq; quo die  
litteras nostras tibi, Parochiasque præ-  
sëntarint. Dat. Mediolani. &c. Ioannes  
Franciscus, filius Ambrosij  
N. filius N.

De



De Visitatione. Cap. VIII.

Quo tempore habenda Visitatio Seminarij.

Hebdomada Resurrectionis, ac circiter festiuitatem Natiuitatis B.V. Reuerendissimus Archiepiscopus adhibitis in consilium Deputatis, generalem Visitationem habeat; in qua delibere, quæ ad Clericorum eiusdem Seminarij institutionem, disciplinam, mores, studiorum progressionem, rerumque temporalium administrationem at tinet.

Quæ in ea peragenda. Clericorū examē, & ratio examinis.

Visitationis initio, si liberit, Ecclesiam, & Sacristiam visitet.

Deinde examen fiat adolescentum, ab his quos idem Reuerendissimus constituerit, adhibitis rerum spiritualiū præfectis.

Examinatores, ab his qui maioribus disciplinis operam nauauerint, Primò de materijs, quæ illis explicatæ fuerint sciscitentur; tum rursus datas responsiones nouis quæsitis vrgeant, vt inde colligatur, quos in ijs studijs progressus fecerint.

Qui Rhetoricæ, & scholis inferioribus adscripti fuerint, omnes aliquid iuxta suarum Classium ordinem componant, separatim, distinctis locis, ijsque clausis; nec inde prius exeant, quàm scriptio nes ei, qui ad eas colligendas deputatus fuerit, dederint.

Quas deinde singuli coram examinum præfectis legent.

Postea Rhetoricis auctor aliquis latinus detur explicandus, Orationis nimirum Ciceronis, aut aliquis ex Poetis.

Tum etiam aliquid inquiretur de præceptis artis Rhetoricæ, ac de Græcis literis.

Idem ordo adhibeatur (ratione tamē Classis habita) in eorum examine, qui in prima, aut secunda Humanitatis Classe versati fuerint.

Qui Grammaticam non excefferint, illis aliqua ex Epistolis Ciceronis familiaribus explicanda proponatur; deinde quàm in præceptis Grammaticæ periti sint, exploretur.

Ratio status cuiusq; describendi.

Vt quisque hac ratione examinatus fuerit, quod specimen ingenij & doctrinæ dederit, in statum referatur: cuius hæc erit formula.

N. filius. N. loci. N. Pleb. N. Med. Diocesi.

Annorum. &c. completorum, die tali, mensis N. anni, prout fuerit.

Initiatus vel non. Ponantur ordines. Receptus die tali, Mensis N. Anni N. Parentes habet superstites vel non, fratres, sorores, tot quot fuerint. Patrimonium tenue, mediocriter, pingue, vel nullum.

Soluit nihil, vel quid soluat.

Adscriptus est Classi Primæ Humanitatis, vel secundæ, aut dat operam Theologia, vel Metaphysicæ. Ponatur tempus quo primùm huic Classi adscriptus est.

Diligentia. Mediocriter, vel &c.

Ingenij. Boni, vel

Memoria. Bonæ, vel

Spei. Bonæ, vel exiguæ.

Talentum habet ad concionandum &c.

Examinatus die tali &c.

Si sit ex aliqua inferiori Classe.

Compositione. Satis fecit

Præceptis. parū, vel

Auctoris explicatione. mediocriter.

critera. Idem dicendum de cæteris.

Si grauioribus studijs, puta Theologia, aut Philosophiæ dat operam, ponatur

ita. Bene, vel male respondit.

Apprehendit.

Discurrit.

Et soluit obiecta.

Ad hæc, certior fiat à Rectore de disciplina, & moribus cuiusque, ac singulos separatim alloquatur; quæ sit eorum mens, quis sensus, quàm in uocatione stabili inquirat, ac si quid aliud præterea scire uoluerit.

His omnibus absolutis, & cognita per examen cuiusque peritia, Reuerendissimus Archiepiscopus statuatur, an ad maiores Classes promoueri debeant: tum præterea delibere, si qui alicui ministerio, aut beneficij Ecclesiastici, aut docendi, aut alterius rei addici possint.

Rursus si qui propter nullam aut exiguam in literis aut moribus, progressionem, acriter puniri debeant, aut etiã si opus fuerit, e Seminario expelli.

Quæ

Alia quædā in uisitatione præstantur.



Quæ postquam confirmata subducta ratione vacantium locorum, decernat, an sint aliqui in huiusmodi loca Seminarij forensibus substituendæ; aut si alij recipiendi, qui a Vicarijs foraneis, vel a Visitatoribus propositi fuerint, aut qui libellos supplices obtulerint.

De Rectoris administratione, ac de ceteris officialibus Seminarij percurretur, an bene & diligenter omnes suis muneribus fungantur; ut si quid opus fuerit, provideat.

De alijs præterea, quicumque aliquod in Seminario officium gerunt, quarat, an omnes munus suum fideliter ac diligenter exerceant; ac si opus esse viderit privata monitione, aut obiurgatione, aut mutatione, omnes perturbationum causas tollere studeat.

Tum ad scitis rerum temporalium deputatis, rationes accepti & expensi diligenter inspiciat, & alia ad temporalem administrationem spectantia cognoscat: si quid in his omnibus innovandum constitueridumve sit, decernat.

Præter hanc generalem visitationem tertio quoque mense saltem, nisi iusta causa impeditus sit, Seminarium visitat, iuxta Prouincialis Concilij secundi constitutionem.

Mittat etiam nonnunquam peritos homines ex tempore, qui lectiones cuiusvis generis audiant, & adolescentum exercitationibus literarijs intersint; ut qua ratione in studijs progrediantur, animadvertant.

De Clericis in Seminarium recipiendis. Cap. I. X.

Maxima cautio adhibenda est in Meo præcepto, ut idonei Clerici in Seminarium recipiantur: neque solum ingenium, & habilitas ad studia literarum, functionesque Ecclesiasticas exercendas spectetur; sed multo magis morum ac disciplinæ in singulis ratio habeatur.

Quales enim ij fuerint qui admittentur, tales prorsus è Seminario fructus existent.

Quocirca quamuis Reuerendissimo Archiepiscopo liberum sit, quouis tem-

pore clericos in Seminarium recipere; vtilius tamen videtur fore, si id tantum paucis ante vel post Resurrectionis Domini nostri solennitatem, & Natiuitatis B. Virginis festiuitatem diebus faciat. Tunc enim, cum Visitatio generalis, vt supra expositum est, ab eodem sit habenda, ex omnibus qui admitti petierint, ij præcipue seligetur, qui experimeto examinis facti, & Inquisitionibus de ijs diligenter habitis, præ cæteris idonei iudicati fuerint.

Qui verò in Seminarium optabunt admitti, Vicarii item Foranei qui aliquos proponunt, mense saltem ante prædictos solennes dies ad Reuerendissimū Archiepiscopum tabellas supplices deferant: in quibus descriptum sit nomen & cognomen eius qui petit admitti, Patris, Parochia, Locij, & Plebis, si ex Die cæsi sit; Porta, si in Ciuitate domiciliū habeat.

Reuerendissimus Archiepiscopus tabellis supplicibus acceptis, mandat (si in eis recipiendis consueta ratione vti voluerit) vt Rectorem Seminarij adiant, ac coram eo a Præfecto studiorum, aliisque ei muneri præpositis, ea ratione quæ infra exponetur, examen subeant; vt Visitationis tempore, eorum status, tum quò ad scientiam & eruditionem, tum quò ad mores & pietatem confici possit.

Cum quis in examen venerit, eius ætas potissimum spectetur; cum nullus in Seminarium maus recipi debeat, qui Philosophiæ, & Theologiæ studia perficere commode non possit, nisi aliter Reuerendissimo Archiepiscopo videatur aliqua iusta de causa.

Quindecim annos nati, primæ Classis Grammaticæ aut idonei sint, aut saltem sex mensum ad summum spatium habiles futuri sint.

Qui decimum sextum compleuerint, apti sint, qui saltem gymnasio Humanitatis adscribantur.

Qui prouectiores fuerint, si decimum octauum attigerint, poterunt admitti ad primam classem Humanitatis: qui verò hanc ætatem exceßerint, apti sint ijs classibus, quæ supra dispositæ sunt vbi de studiis agitur, seruatim conditionibus

Seminarium admittit etc.

Præstanda ab ijs qui petunt admitti.

Ratio examinis admittendorum.

abrupta  
lrv acris  
abrupta  
abrupta

Tit. decr.  
19 pag. 68.

Tit. decr.  
19 pag. 68.

Que cauend  
da in recep  
tione Cle  
ricorum.

Que cauend  
da in recep  
tione Cle  
ricorum.



bus ætatis, eorumque omnium quæ requiruntur in ijs, qui sunt ad eas classes promouendi.

Examen autem omnino exactè fiat, ea ratione, quæ hoc loco præscribitur.

Primo quidem efficiant examinatores, ut is de quo examen faciendum est, Latinum aliquem auctorem explicet: de inde vulgari sermone præscriptam aliquod thema in latinam linguam conuertat: Postremò ab eo præceptorum Grammaticalium rationem exquirant: nisi fortasse altioris eruditionis cognitionem præferat.

Proponetur item unicuique aliquid, quod memoriæ mandet, idque maxime si adulta ætate sit; ut ex eo, quid ingenio conscribi possit perspiciatur.

Ratio stat<sup>o</sup>  
eorum con  
suecandi.

Examine peracto, vniuscuiusque status conscribetur in hanc formam.

Antonius Ripa filius Ioannis loci N. Plebis. N. Med. Dioc.

Si verò sit Ciuitatis.

Portæ Nouæ, Par. S. Bartholomæi.

Annorum 15. vel 16. &c. Ætas autem habeatur ex processu ætatis & natalium agitato, ad formam præscriptam a nobis, prout infra dicitur.

Initiatus, vel non.

Parentes habet superstites, vel non, fratres, sorores, apponendo numerum singulorum.

Patrimonium, nullum, vel tenue, vel mediocriter, prout in facto erit.

Beneficium obtinet vel non.

Duodenam soluet, vel non, & quamnam.

Ingenij } Boni, vel mali, mediocris vel debilis: in vnoquoque horum trium, prout in examine comprehendetur.

Peritia autem cuiusque subsequenter describetur in hanc formam.

Examinatus supradictus.

In expositione Auctoris Repertus fuit infra mediocritatem; Intelligens lingue latinæ, vel mediocriter, vel supra mediocritatem, &c.

In Præceptis Grammaticæ non excessit aduerbia, vel participia, &c. Et in his vel infra mediocritatem, vel mediocriter, &c.

In compositione idem seruetur.

His confectis, Rector (nisi malit Reuerendissimus Archiepiscopus hoc munus alteri delegare) de eius vita & moribus, si in Ciuitate habitat, a Præfecto Portæ, aliisque probatis viris; sin externus sit, a Vicario Foraneo, aliisque fide dignis testibus secretò cognoscat, atque hæc potissimum diligenter inquirat.

An singulis saltem mensibus peccata sua probato Sacerdoti Confessus sit, Sanctissimamque Eucharistiam sumpserit.

An Scholis Doctrinæ Christianæ in Ecclesia statutis diebus ac horis interfuerit.

An talari vestitu ad præscriptam formam vsus sit, ab eo tempore, quo concessu Reuerendissimi Archiepiscopi Clericalem habitum induit; cuius etiam licentiam scriptam exhibeat, antequam in Seminarium recipiatur.

An diebus festis in Ecclesia superpelliceo indutus, diuinis officijs religiose interfuerit, se duloque interfuerit.

An ludum literarium frequentauerit; huiusque rei testimonium etiam a præceptore ipse asserat.

An cum laicis versatus sit; ac ij, quibus moribus præditi.

An arma ferat, aliaque huiusmodi.

His præfectis, Rector quidquid cognouerit, Reuerendissimo Archiepiscopo significet, eique simul statum exhibeat, ut ipse de eo admittendo vel reiiciendo decernat, prout visum fuerit.

Admissi a Reuerendissimo Archiepiscopo, antequam in seminarium recipiantur, dent idoneum fidei iussorem ad præscriptam formam, ut infra, cuius etiam rei fidem seu testimonium scripto exaratum Rectori asserant.

Si verò aliquid pro victu soluant, dimidiam partem representent.

Omnia præterea, antequam ingrediantur sibi, comparent, quæ in sequenti tabella continentur; atque hæc ad formam in constitutionibus præscriptam.

Breuiarium, Diurnum, officium E. V. atque ea ritu Ambrosiano.

Corona.

Tabella, in qua sacra imago aliqua sit depicta.

Vasculum ad aquam benedictam continentiam.

Vestis

Inquirenda  
circa vitæ,  
mores &c.  
admittenda  
dorum.

Paranda  
Clericis  
antequam  
seminarium  
ingrediantur.

Paranda  
Clericis  
antequam  
seminarium  
ingrediantur.



Vestes exteriores duæ lanæ, violacei altera, altera nigri coloris.

Interiores item duæ, quarû altera hyemis tempore, altera æstate deferatur.

Illa è panno laneo crassiori, hæc è subtiliori (vulgò sarza appellat) sit confecta.

Epitogium, seu vestis domestica, iuxta præscriptam formam.

Pallium, quod ferrarolum appellant.

Pileus ad formam, & birretum, cuius interior pars nigri tantum sit coloris.

Cingulum, quod nec sericum sit, nec reticulatum, sicut neque vincula tibi alium.

Sex ad minimum indusia, quorum collaria, nec crispata sint, nec vlllo artificio elaborata.

Manutergia duo, aut tria: Sudariola tot, quot opus fuerint.

Conciones alicuius probati auctoris, & liber aliquis de rebus spiritualibus conscriptus; prout superiori videbitur; ac ij præterea omnes, quibus in gymnasio necessariò vti debent.

Lectus, capsa, scrinium maius, & minus, scabellum iuxta formam Seminarij, Culcitra stramentitia, Anaclinterium, lintea, lodices ad vsum, tum hyemalis temporis, tum æstiu, ad formam Seminarij.

De fideiussore dando ab ijs, qui Seminarium ingrediuntur, ac testimonio ætatis exhibendo.

Cap. X.

**N**vllus in Seminarium recipiatur, nisi prius idoneum fideiussorem dederit; qui pro eo spondeat, non solum quoad repræsentationem pecuniarum singulis sex mensibus, quas pro victu soluere debet; sed etiam vestitu iuxta Seminarij constitutiones: Et qui, si Clericus è Seminario sine facultate Reverendissimi Archiepiscopi discesserit, aut propter improbitatem, aliamve eiusmodi causam expulsus fuerit; in his omnibus, & singulis, alijsque in formula cautionis cõsuetæ præscriptis, si quid horum contigerit, teneatur pro victu soluere, quæcunque eo nomine Reverendissimus Archiepiscopus, aut eius

Vicarius iusserit, pro eo tempore uniuerso, quo in Seminario commoratus fuerit.

Fideiussores ne accipiãtur, nisi domiciliũ in Ciuitate habeant, & ad præscriptam formã approbati, & collaudati.

Omnes ætatis, & natalium testificationes scriptas, ac illius iudicio, qui à nobis constitutus fuerit, probatas afferant; quas nisi eiusdem subscriptione signatas exhibeant, ne recipiantur.

In ætate Clericorum exscribenda, notetur expressè dies, mensis, annus, quo quisq; natus fuerit, hoc modo.

Natus die mense & anno

vt constat ex processu approbato: quò possit facile, quotiescunque opus sit, subducta ratione, haberi ætas vniuscuiusque.

Poterit tamen hæc diligentia prætermitti, si ex libris Matrimoniorum, & Baptismorum testimonium probatum extet: ex quibus describatur ad verbũ exemplum verborum, quibus testatum sit, Matrimonium inter parentes eius, qui recipiendus est, contractum esse, & insuper diei quò quis talis baptizatus est; quo eum ex legitimis nuptijs esse procreatum probetur, ac eius ætas inuestigetur.

## SECUNDA PARS.

Quæ ad Officiales Seminarij pertinent.

De Officialibus in genere. Cap. I.

**S**eminarij Officiales, alij Ecclesiastici, Laici alij esse debebunt; qui cum omnes vitæ integritate conspicui, tum præsertim Ecclesiastici, vita, & moribus probati sint, & in his quæ eorum muneris sunt, exercitati: qui, si fieri possit, omnes ex Oblatorum Congregatione deligantur, ac potissimum Rector eiusdem omnino sit congregationis.

Rector igitur præ cæteris sit ætate prouectus, auctoritate grauis, spectata probitate, ab omni onere residendi solutus, peritus disciplinæ clericalis, ac eius præcipuè, quæ ad Seminarium

Fff spectat;